



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

De signis boni Nouitij, & quid in Nouitiatu faciant, & facere debeant boni  
Nouitij, vt euadant postea boni Religiosi. Cap. XXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

ritualibus. 11. Iuabit etiam syncerus candor cum tuis Superioribus & Confessariis, non celando coram illis quicquam, non tantum peccata & imperfectiones; sed etiam tentationes, passionum inordinatarum, motus, difficultates in rebus spiritualibus, & alias necessitates tuas spirituales & temporales, dando operam, vt hæc omnia ita sint illis manifesta sicut sunt Deo & tibi nota.

XI. Omnes tuas deuotiones, vti sunt Meditatio, lectio, recreatio, ad hunc finem dirigas, vt voluntas tua accendatur ad odium cuiusuis imperfectionis, & ad studium alicuius virtutis.

XII. Assuesce singula opera tua supernaturaliter facere pure propter Deum, dicendo in principio, saltem mente, hæc vel similia verba: *Domine propter te volo surgere, vestire me, orare, comedere, bibere, natura necessitatibus satisfacere, venire, seruire ad mensam, &c. & hoc facere diligenter, & iuxta voluntatem tuam*; Ita vt non tantum offeras Deo actionem tuam quamlibet in particulari, sed etiam modum eam bene peragendi, idque non intuitu præmij cælestis (etsi id quoque licitum sit) sed pure propter Deum. Qui modus operandi est perfectior, & actus caritatis omnium virtutum præstantissimæ, quam Theologi vocant, *amorem beneuolentia*.

XIII. Da operam, vt pro peccatis præteritis & præsentibus ita plenè satisfacias, ne post mortem ad Purgatorium ire cogaris. Inter res verò satisfactorias hæc sunt præcipuæ. 1. Frequens dolor internus de peccatis commissis, saltem in genere apprehensus non descendendo ad particularia. 2. Carnis afflictiones per disciplinas, fignis discretum, muscarum & pulicum morsus non repressos, duram cubationem, sessionem sine fulcro, victum communem, parcum, sine vllâ singularitate, vilem vestitum, officia vilia & laboriosa discretè suscepta, abstinentiam à fricatione corporis tempore pruritûs, esum ciborum inspidorum, malè conditorum & sine sale, & his similia. 3. Victoria tui in rebus faciendis cum licentiâ Superiorum, à quibus abhorret natura & amor proprius, & in omittendis tuis vel in priuando te tuis, ad quos propendet amor proprius, vno verbo exacta obseruatio Regulæ 9. 10. 11. 12. 13. Summatij. 4. Oblatio singularum actionum supra explicata. 5. Tolerantia omnium rerum molestarum vel corpori, vel animo, vel amori proprio. 6. Super omnia verò magnus feruor in omnibus actionibus in Religione præscriptis, iis præsertim, quæ ad Dei cultum spectant, vti sunt oratio & Missa; quandoquidem; vt docet S. Thomas 3. p. q. 79. a. 8. ipsa SS. Eucharistia, & vt Sacramentum & vt Sacrificium est, quamuis sufficiat ad satisfactionem pro omni pœnâ, tamen non pro totâ pœnâ satisfacit offerentium, & eorum pro quibus offertur, sed secundum quantitatem eorum deuotionis & feruoris.

XIV. Cùm Deus sit bonum infinitum, & nos innumeris beneficiis affecerit & afficiat, tolerando tot nostra peccata, & concedendo tam multa bona, & tam efficacia media nobis dederit, & dare non desinat ad nostram salutem & perfectionem, præsertim sanguinis proprii effusionem in Cruce, & infinita merita quæ congregauit in bonum nostrum, per vitam, Passionem & Mortem suam, & quæ nobis applicat tam sæpè per tot auxilia internæ gratiæ, præsertim per Sacramentum Eucharistiæ, mereatur hæc tam boni Domini Maiestas, vt illam redamemus & grati simus, ac proinde maximè in hac vitâ, & in aliâ glorificemus. Glorificatio autem hæc consistit in tribus.

1. Vt quàm maximè mundi simus ab omni peccato & imperfectione.

2. Vt quàm plurima & quàm perfectissima opera meritoria congregemus; bona quàm plurima perfectè faciendo, & res amoti proprio displicentes quàm maximas, patienter, libenter, & lætè tolerando.

3. Vt hæc duo etiam ab aliis & domesticis & externis, quantum per nos fieri poterit, ob maiorem Dei gloriam præstari curemus. Ideò omni industriâ labora, vt omnes temporis partes, quantum permittet humana fragilitas & status huius vitæ, expendas in actibus meritorijs, hoc est, sine peccato, & bono fine ac modo factis. Et in hoc imitare mercatores, vt non sis contentus qualicunq; bonitate & lucro spiritali, sed coneris congregare actiones quàm maximè meritorias, quarum magnitudo meriti (ceteris paribus) desumitur & ex præstantiâ ac difficultate rei circa quam versantur, & ex præstantiâ finis ob quem fiunt, & ex magnitudine deuotionis & feruoris cum quo peraguntur.

#### CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

*De signis boni Nouitij, & quid in Nouitatu faciant, & facere debeant boni Nouitij, vt euadant postea boni religiosi.*

**Q**ui ad statum religiosum aspirant, vel immediate ante ingressum in Religionem, vel postquam ingressi sunt, hæc perpendant, & feruent.

I. Nihil occultat bonus Nouitius & religiosus, nec occultum esse cupit suis Superioribus, quod vel ad eius, vel ad aliorum utilitatem spirituales, vel morum emendationem aut correctionem pertinere possit.

II. Non fert agrè, si omnes eius defectus extra Confessionem agniti, Superioribus priuatum, & aliis etiam publicè manifestentur.

III. Equo animo fert omnes pœnitentias, quæ

quæ pro veris, vel etiam fictis defectibus sibi adscriptis, publicè iniunguntur.

IV. Semper de rebus ore religioso dignis loquitur; ideoque libentiùs conuertatur cum iis qui tales sermones instituunt, quàm cum aliis, qui rebus & colloquiis spiritualibus non delectantur.

V. Ita purè, seruentè & circumspèctè procedit in omnibus, tantamque suæ mentis & sensuum custodiam habet, vt rarissimè, & nunquam cum plena deliberatione, idque tantùm venialiter peccet, ideoque sentit in se magnam difficultatem inueniendi peccata venialia pro Confessione hebdomadaria, tum in quotidianis Conscientiæ Examinibus, tum dum se pro Confessione parat.

VI. Quærit occasiones omnes mortificandi se, tum in aliis rebus, tum in iis quæ eum coram aliis confundunt, & erubescere faciunt, & pati facturam bonæ opinionis apud alios, hoc, est veluti essentia boni Nouitij, vt & mortificatio omnium humanorum respectuum, ob quos multi defectus committuntur à tepidis, & multa bona omituntur.

VII. Ita exteriores corporis actus & motus compositos habet, vt vix aut ne vix quidem in eo inuenire possit prudens & bonus censor, quod iustè possit reprehendere.

VIII. Libentiùs legit illos libros, qui affectus pios excitant ad studium virtutum, quàm alios qui curiositate intellectum pascunt.

IX. Cum nullo habet particularem amicitiam, in carne & sanguine fundatam, sed illis magis afficitur ob solam virtutem, & non ob aliud humanum & sensibile motiuum, qui ceteris apparent verè magis deuoti & magis spirituales, & magis etiam Regulas minimas obseruantes.

X. Conatur vincere omnes suas repugnantias, quas amor proprius excitat, faciendo iis contraria cum licentiâ Superiorum.

XI. Non afficitur voluntario tædio in oratione & lectione librorum spiritualium, & collocatione de rebus spiritualibus, & longiusculis Exhortationibus vel Conferentiis spiritualibus.

XII. Habet ardens desiderium magnæ sanctitatis; idque non ob propriam; etsi bonam, vilitatem, sed vt det gustum Deo & gloriam quàm maximam ex sua personâ; & ex suo modo viuendi, & causet magnum gaudium Christo suo Redemptori, qui vehementer letatur, dum videt in aliquo copiosum suorum meritum fructum, & nostræ Redemptionis amplam per magnatum incrementa virtutum dilatationem.

XIII. Non metitur bonum successum meditationum ex gustu sensibili, & consolatione tenebræ deuotionis, sed ex motione voluntatis ad amorem virtutum & fugam imperfectionum,

quâ solâ contentus est, etsi sentiat ariditates inuoluntarias, & inculpabiles distractiones.

XIV. Minima minimarum etiam Regularum transgressionem fugit, & nil parui æstimat ad perfectionem conducens, etiamsi res minima videatur iis, qui iudicio seculari res Dei æstimant, & ingrati, eas non curant.

XV. Optat frequentissimè colloqui cum suo Magistro, & ab eo directionem omnem haurire, præcipuè, 1. Quoad vitanda & minuenda in dies peccata & imperfectiones non culpabiles. 2. Quoad acquisitionem virtutum. 3. Quoad perficiendas in dies magis ac magis actiones internas & externas.

XVI. Assuefacit se paulatim, non tantùm ad faciendum omnia bene & diligenter atque accuratè, sed etiam seruentè.

XVII. Conatur inter duo bona illud eligere quod est perfectius, hoc est, quod continet in se magis generosum & heroicum actum, & quod magis repugnat amori proprio: eumque magis mortificat; præfertim iis in rebus quæ hominem magis humiliant, magis coram aliis confundunt, & contemptibiliorem reddunt mundanis.

XVIII. Nihil in particulari, quoad officia, loca, occupationes, gradus, optat: nihil in particulari (præter solum peccatum & omnem imperfectionem) refugit, sed est paratus ad omnia facienda & toleranda, quæ Superioribus circa eum videbuntur, re nullâ præter solum manifestum peccatum exceptâ.

XIX. Intra se conatur esse lætus, & erga alios suauis, estque minimè tetricus seu morosus in conuersatione.

XX. De nullâ re scandalizatur, omnia bene interpretatur & excusat, quantum licet & decet. Non tamen omittit manifestare Superiori, & de se, & de aliis, quæ videt vel audit posse ab aliis in malam partem trahi, & quæ putat posse esse noxia vel communitati, vel alicui personæ particulari, aut ipsi delinquenti.

XXI. Ita benè fundatus exit ex Nouitatu ad alia Domicilia Societatis, hoc est, cum tanto odio omnis peccati & imperfectionis, & cum tanto amore virtutis & perfectionis, vt postea etiam sine vlllo teste & censore ac custode morum suorum viuens, non minùs perfectè & religiosè ac circumspèctè viuat, quàm si viueret in oculis eius, quem maximè veretur, Superioris, & ita sine socio securè vbique esse potest; quales pro Indiis & Iaponiâ optabat mitti Socios S. Xauerius.